

suum hujus Provinciae locis, morem fuisse, ut baptizati ab Haereticis, praesertim à Calvinistis, redeuntes ad Ecclesiam iterum baptizarentur sub conditione: "Quia dubitabant nonnulli de valore Baptismi ab hujusmodi Haereticis collati, eò quod non haberent intentionem baptizandi in remissionem peccatorum. Verum quoniam illa formula baptizandi sub conditione fuit introducta propter Baptismata occulta, & de quibus non apparebat, nec uni mulieri seu alteri privatim baptizanti credi debeat. Contrà verò constabat Calvinistas in cœtu publico baptizare in forma verborum & materia à Christo instituta, nec de hoc facto ambigi poterat: vetatis ablutionem repeti cum quibuscumque verbis à Calvinismo aut aliis haeresibus similiter baptizantibus, ad nostras Ecclesias transeuntibus ne de anabaptismo redarguamur.

Haecenus Concilium Rothomagensis titulo De Sacramentis num. 2. cujus verba penè exscripsit & adoptavit Concilium Aqueense anno 1585. titulo De Sacramento Baptismi.

Quid verò circa Baptismum ab Haereticis collatum agendum sit; quidvè pro certo aut dubio habendum sit, ut Baptismus aliavè Sacramenta characterem imprimentia sub conditione iterari queant, praecipue Episcoporum est judicare & praescribere.

CAPUT II.

Quae in Sacramentorum administratione servanda; & quis eorum praecipuus Minister.

- 1. Pastores ut semper sanctè Sacramenta administrare queant, sanctè vivere debent.
2. Quomodo ante eorum administrationem se preparare debeant.
3. In administratione Sacramentorum eorum effectus & usus exponendus.
4. Nec tantum suscipientium, sed & adstantium ratio habenda.
5. In quorum Sacramentorum administratione id praecipue faciendum?
6. Pastores ad Sacramenta administranda semper debent esse parati.
7. An teneantur administrare postea infectis?
8. Quare ceremoniae in administratione Sacramentorum adhibeantur?
9. Quid de ceremoniis credendum tradat Synodus Tridentina Fidei professio?
10. Ceremoniae pro arbitrio privatorum immutari nequeunt.
11. Ista adhibenda juxta praescriptum librorum Ritualium; qui illum in finem sunt conscripti.
12. An liceat a Ritibus praescriptis recedere praetextu quòd contrariis sint conformiores primitivae Ecclesiae disciplinae.
13. Episcopi subinde libros Rituales revidere debent.
14. Decreta circa administrationem Sacramentorum potissimum ad Parochos diriguntur.
15. Parochus in sua Parochia est ordinarius Sacramentorum minister.
16. Nullus in aliena Parochia, aut alienis Parochianis Sacramenta administrare potest.
17. Parochus quare ratione dicatur proprius Sacerdos; Pastor, aut Curatus?

Um in Ecclesia Dei nihil sanctius, aut utilius, nihil excellentius, aut magis divinum habeatur, quàm Sacramenta ad humani generis salutem à Christo Domino instituta [ait Rituale Romanum] Parochus, vel quisvis alius Sacerdos, ad quem eorum administratio pertinet, meminisse imprimis debet, se sancta tractare; atque omni ferè temporis momento ad tam sanctae administrationis officium peratum esse oportere. Quamobrem illud perpetuò curabit,

ut integrè, e. s. te pieque vitam agit: nam etsi Sacramenta ab impuris coinquinati non possunt, neque à pravis ministris eorum effectus impediti; impurè tamen & indignè ea ministrantes, in aeternae mortis reatum incurunt.

Eadem Pastoribus & Sacerdotibus enixè commendant Synodi nostrae tum Provinciales, tum Diocesanae Belgicae; Ne dum alius caelum aperuunt, ipsi sibi viam muniant ad gehennam, ait Synodus Bulcoducensis sub Malio titulo 2. cap. 1.

II. Censuit insuper Cameracensis D. anno 1567. monendos Pastores omnes, ut Sacramenta administraturi, summa animi devotione Omnipotentis Dei implorent auxilium, quo in illis planè divinis functionibus mundam rectamque mentem asserant. Quin & addit Rituale Romanum: Ipse verò [Parochus] antequam ad hujusmodi administrationem accedat, paululum, si oportunitas dabitur, orationi & sacrae rei quam acturus est meditationi vacabit.

III. Ut autem fidelis populus ad suscipienda Sacramenta majori cum reverentia atque animi devotione accedat, praecipit Synodus Tridentina Sess. 24. cap. 7. De Reformatione Episcopis omnibus, ut non solum, cum haec per se ipsos erunt populo administranda, priùs illorum vim & usum, pro suscipientium captu explicent, sed etiam idem à singulis Parochis, piè prudenterque, etiam lingua vernacula, si opus sit, & commodè fieri poterit, servari studeant.

IV. Id ipsum in suis passim Synodis, ac Ritibus libris Episcopi saepe inculcant; monentque, ut in administratione Sacramentorum non tantum suscipientium, sed etiam praesentium & adstantium ratio habeatur.

In administratione quorumcumque Sacramentorum (ait Synodus P. II. Mechl. tit. 2. cap. 3.) vis & efficacia eorum, pro captu lumentium ac praesentium, saepè à Pastoribus explicentur.

Similiter Synodus P. II. Cameracensis tit. 5. cap. 6. Omnes qui administrant Sacramenta, illorum vim & usum, pro eorum qui sumerint & adfuerint capacitate & intelligentia diligenter explicent.

Et Synodus Atrebatensis sub Francisco Richardo titulo De Sacramentis in genere cap. 1. praecipit omnibus Pastoribus, in Sacramentorum administratione semper aliquid adferant ad explicandam institutionem & utilitatem Sacramenti; ex quo praesentes adificationem aliquam capiant.

V. Quantumvis in omnium Sacramentorum administratione id faciendum injungatur Pastoribus, facilius tamen ac fructuosius id fieri posse videtur in administratione Baptismi, Eucharistiae per modum viatici, & extremae unctionis; tum quod in horum administratione plures soleant adesse, tum quòd major appareat, quàm in aliorum administratione opportunitas.

Cum enim in ipso Baptismo infans renascatur; atque specialiter fiat professio vitae Christianae, & abrenuntiatio satanae & pomparum saeculi; opportunissimum videtur, tunc ipsis praesentibus in memoriam revocare, quomodo & ipsi aliquando in Christo renati eam professionem emisissent & renuntiationem solemniter fecerint; expendantque num conformiter ad eam ipsationem haecenus vixerint.

In administratione Viatici & Extremae unctionis ipsa hominis morientis praesentia attentionem majorem in ipsis adstantibus, praesertim consanguineis & familiaribus morientis, nata est conciliare.

VI. Pastores ad administranda Sacramenta vocati (ait Synodus P. II. Mechl. tit. 2. cap. 5.) officio suo fungi non tacent, graviter alioqui puniendi; gravissimè verò, si quem ipsorum negligentia, sine Baptismo, Confessione, sacro Viatico, aut Extrema unctione, ex hac vita migrare contigerit.

Idem omnes passim Synodi inculcant, additque Synodus Antverpiensis sub Miræo, tit. 2. cap. 3. Acubi populus

lus est numerosior, bis in die, manè circa horam septemam, & vesperi sub Laudibus, in templo [Pastor] sese praesentem exhibeat omnibus opera illius uti volentibus.

VII. Cùmque Pastor animam suam debeat ponere pro ovibus suis, concluditur, Pastorem neque ob periculum contagionis seu infectionis pestis posse subditis suis negare administrationem Sacramentorum, si alius non adsit, qui ejus vices suppleat; quapropter an. 1668. judicatum fuit in Parlamento Parisiensi, Pastorem potuisse privati suo Pastortu ob non administrata Sacramenta tempore pestis, ut refertur in opere cui tit. Journal Des Audiences p. 3. l. 4. c. 1.

Hanc esse Pastorum obligationem tamquam notorium suppositi & expressi Synodus P. II. Cameracensis tit. 5. c. 10. Tamen quia experientia cognita est, ait Synodus, eam esse multorum Parochianorum infirmitatem & pusillanimitatem, ut à proprio Parocho abhorrerent, simul atque eundem alicui vel leviter de his suspecto Sacramenta administrasse intelligunt, praecipit ut tempore pestis Capellani constituantur sumptibus aërii publici, vel collectis singulorum Parochianorum, in quorum utilitate evidenter hoc cedere intelligitur, cui Sacramenta dictis peste infectis, usque solis administrarent, quibus Capellanis Episcopi dent curam animarum.

Quae cura & cautio in administrandis Sacramentis, aliisque spiritualibus subsidiis impendendis adhibenda sit tempore pestis, fuse exposuit S. Carolus in sua Synodo Provinciali V. parte 2. Constitutionum; quae merito ab Episcopis & Pastoribus hujusmodi occasione incidente consuli poterunt.

VIII. Ulterius ut major sit erga Sacramenta rudioris populi devotio & reverentia, jam pridem à primis Ecclesiae saeculis ritus seu ceremoniae quaedam in Sacramentorum administratione adhiberi consueverunt; quibus & ipsi Sacramentorum effectus subinde explanantur, & populo sensibilibiter proponuntur; mentemque Fidelium ad rerum divinarum contemplationem excitant.

Unde Synodus Tridentina Sess. 22. de Sacrific. Missae cap. 5. postquam dixisset varias ceremonias, in Sacrificio Missae ex Apostolica disciplina & traditione adhiberi, finem earum subjicit his verbis: Quo & Majestas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hanc visibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

IX. De his ritibus sive ceremoniis definit Synodus Tridentina Sess. 7. Can. 13. Si quis dixerit receptos & approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.

Professio fidei haec habet: Receptos quoque & approbatos Ecclesiae Catholicae ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemnibus administratione, recipio & admitto.

X. Ritus hi tametsi ad ipsorum Sacramentorum valorem vel substantiam non pertineant; possuntque salva eorum validitate omitti & mutari; imò pro temporum ac locorum diversitate ritus hi varii fuerint, & etiamnum sunt, tamen sapienter Ecclesia declaravit, eos non posse arbitrio quorumcumque inferiorum Pastorum vel Ministrorum mutari aut de novo introduci: ne alias sub specie religionis & pietatis, superstitio, aut avaritia, vel irreverentia in Sacramentorum administratione sensim immisceantur: quod aliquot ante Synodum Tridentinam saeculis non infrequens fuit; ipsaque haeretici, ritus Ecclesiasticos explodendi ac generatim rejiciendi praetextum dedisse videtur.

XI. Quapropter absoluta Synodo Tridentina varii ab Episcopis pro suis respective Ecclesiis seu Diocesisibus compositi fuere libri, quos vulgo Ritualia vel Pastoralia aut Manualia vocare solent.

Van Espen Jus Eccles. P. II.

Horum librorum scopum esse, praescribere ritus, quos in administrandis Sacramentis, & celebrandis Divinis officiis Parochi alique Ecclesiae ministri observent, non autem quaestionum Theologicarum aut dogmatum decisionem facere, indicat ipsa librorum nomenclatura, & in praefatione ad suum Rituale expressit Paulus V. his verbis: His ita constitutis, restabat, ut uno etiam volumine comprehensivè, sacri & sinceri Ecclesiae Catholicae ritus, qui in Sacramentorum administratione, aliisque Ecclesiasticis functionibus servari debent ab iis, qui curam animarum gerunt, Apostolicae Sedis auctoritate prodirent, ad cujus voluminis praescriptum, in tanta Ritualium multitudine, sua illi ministeria tamquam ad publicam & obli-gnatam normam peragerent, unoque ac fidei ductu inoffenso pede ambularent cum consensu.

XII. Quamvis non omnes Ritus seu caeremoniae in libris Ritualibus singularum Diocesium praescripti ex Apostolica disciplina & traditione descendant; sed plures postremis Ecclesiae temporibus sint introducti; imò nec omnes & singuli haberi debeant tamquam ab Ecclesia Catholica probati, nihilominus Parochis aliisque inferioribus ministris fas non est extra necessitatè privata auctoritate in publica Sacramentorum administratione, aut Divinorum officiorum per solutione à ritibus in Ritualibus vel Pastoralibus suae Diocesis praescriptis facile & passim recedere; eo etiam titulo, quòd ritus contrarius priori primitivae Ecclesiae disciplinae videatur conformior; ne alias haec licentia paulatim latius serpens, confusionem aliaque incommoda in ipsos sacros Ritus, & Sacramentorum administrationem inducat.

In administrandis Sacramentis [ait Synodus P. II. Mechl. tit. 2. cap. 1.] Pastoralis suae Ecclesiae Cathedralis omnes sequantur, & eo deficiente, Ecclesiae Metropolitanæ, nihil temerè addendo, demendo, vel immutando. Id ipsum caetera quoque Synodi Belgicae Mandant; rationemque mandati hanc praemittit Synodus D. Cameracensis anno 1567. tit. De Sacramentis cap. 3. In signis externis ac ceremoniis, ne qua malevolis relinquantur offensus, utque juxta Apostoli sententiam, idipsum dicamus omnes, perfecti in eodem sensu atque sententia.

XIII. Caeterum, sicuti Synodus Tridentina aliaque eam sequuntur Synodi saepius monuerunt Episcopus, ut suarum respective Ecclesiarum Breviaria & Divini Officii libros reviderent & expurgarent ab omni eo, quod cum Divini Officii Majestate non convenire judicaretur, ita & Episcoporum est Rituales libros suarum Diocesium subinde revidere & diligenter examinare, num nihil in ritibus, vel per negligentiam aut ignorantiam intrusum sit, quod pietatem ac reverentiam Sacramentis debita minuat, aut saltem minus promoveat, vel etiam superstitionem aliquam redoleat; vel Fideles facile in superstitione natum sit inducere. Ac denique expendant, an ritus aliqui hoc tempore induci haud possint, qui & usui ac instituto Sacramentorum sint conformiores, & ad pietatem & reverentiam erga sacra Mystera in mentibus Fidelium excitandam conventiores & efficaciores.

XIV. Ex citatis haecenus Synodorum ac Ritualium Decretis & monitis circa observanda & cavenda in administratione Sacramentorum illud perspicuum est, ea potissimum ad Parochos dirigi; hosque praecipue circa Sacramentorum administrationem instrui.

XV. Nec mirum, cum enim Parocho totius Parochiae cura spiritualis incumbat, quemadmodum parte 1. tit. 3. cap. 1. ostensum fuit, etiam ipsi principaliter & jure orationario competat Sacramentorum administratio ad exclusionem omnium aliorum inferiorum Sacerdotum; adeo ut si qui in ejus Parochia, aut ejus Parochianis Sacramenta administrarent, id non nisi ut ejus coadjutores & subsidarii, ac de ipsius tacito vel expresso consensu facere censeantur.

Hoc Parochorum jus non obscure expressit Synodus Tridentina, monens Episcopos Sess. 24. c. 13. De Reformatione ut pro tutiori animarum eis committarum salute, distin-

